





ad visionem beatificam; quia hic effectus cum tali causa habet peculiarem proportionem; at non posse elevari ad producendam gratiam, quia locus non habet proportionem, nec unquam, ibi dicitur, ut nobis imponit, creaturam per potentiam obedientialem creare posse. Denique vera est etiam doctrina, quam asserit in ultima solutione, potentiam nempe obedientialem activam, ut a Deo elevatam speciali auxilio dici aliquo modo posse ordinis supernaturalis, quo factio etiam ignem supernaturalem potentiam dicuntur intellectus perfusus lumine gloriæ, & voluntas induta habitu charitatis, neque hinc loquitur esse agentia increata, ut arguit Centin. ex Scot. d. 43. qu. 4. quia non sunt agentia supernaturalia simpliciter, & ex toto, ut est agens supernaturale, de quo ibi loquitur Doctor, sed tantum agentia supernaturalia secundum quod ex elevatione facta per habitum supernaturalem, vel concursum specialem.

Postremo post totalem nostræ sententiæ declarationem circa potentiam obedientialem, tum activam, tum passivam, examinandam hic se offert singularis sententia Aureoli de potentia obedientiali d. 42. qu. 1. art. 3. ubi ait, quod potentia obedientialis non est potentia proprie dicta, sed tantum similitudinariæ, & transumptivè dicitur ratione similitudinis ejusdem proprietatis negativæ, quæ appellatur non resistens, quod probat ostendendo hanc potentiam obedientialem non posse dicere aliquid positivum in creatura, virtute ejus creatura obediens creatori ad nutum, quia positivum illud quæ habet rationem creati, sicut & illud super quod fundatur, & ideo non plus esset in potestate creatoris, nisi æque esset in ipsius obedientia creatura fundans humani modis positivum, sicut & illud. Tum quia creatura antequam esset, dicebatur esse in plena obedientia creatoris, & tamen non ratione aliquid positivum, cum penitus nil esset. Restat ergo dicere, concludit tandem acutissimus Aureolus quod obedientialis potentia dicitur transumptivè, & metaphoricè a quadam conditione negativa, quæ est non resistere alicui divini, videmus enim quod aliquis dicitur obediens dupliciter, primo quidem positivè sicut servus, qui exequitur iustum, ac imperium Domini; secundo vero negativè per hoc, non resistit alicui agentis, ut cera molis dicitur obediens, quia cedens autem, secundum hoc ergo creatura omnis vel facta, vel factibilis dicitur esse in plena obedientia Dei, quia ejus activæ potentie non resistit, quod videtur elici ex illo sacri eloqui dicto *potentia, & voluntas eius quis resistet*. Quamvis hodierni modus prima facie clarus, & obvis videatur, ac omni difficultate carens, tamen communitate recitatur in omni schola, & in primis multo pacto verificari potest de potentia obedientiali passiva, quia mediante intellectu & voluntate actus supernaturalis in se recipiunturque sustentant, non inquam, de tali potentia verificari potest, quia talis potentia passiva erga tales actus veram exercet causalitatem materiale, nedum eos recipiendo, sed etiam sustentando, ergo non potest formaliter consistere in aliquo negatione, & simpliciter non respugnantia, nec est potentia metaphoricè tantum dicta, sed vera, & realis potentia, sicut verè, & realiter in genere materialis causæ concurrat ad productionem actuum supernaturalium eos recipiendo, ac sustentando, antequam facile probabitur, si ab Aureolo extorqueatur quid sit exercere causalitatem materiale, consequentia patet, quia sicut pura negatio nequit alicui esse ratio offendi, ita neque ratio causandi, quia causa influit esse in causatum per influxum positivum. Quæ ratio mihi videtur ineluctabilis, nam si dicat Aureolus formas supernaturales creari, atque ideo non educi de potentia passiva obedientiali animæ, quamvis id concederetur de quibusdam habitibus supernaturalibus, id tamen de actibus nequaquam asseri potest, isti namque re vera, & recipiuntur, & sustentantur in anima, vel ejus potentia, quod etiam, & de habitibus ipsius disp. 3. Phys. q. 5. art. 2. probabilis djudicavimus. Quod si dicat has formas recipi, ac sustentari in subtrato talis negationis, cum hoc substratum in eo quod recipit, ac sustentat, sit passivum, utique per aliquam potentiam passivam, non quidem respectu distincti, imò potius realiter i. causatam, & enominabitur tale, & tunc quaeritur an hac potentia passiva sit naturalis, vel supernaturalis, & obedientialis. Eodem quoque modo id ipsum probari potest de potentia obedientiali activa, sed solum intellectus supernaturaliter elevatur lumine gloriæ verè, & physice cum ipso concurrat ad eliciendam visionem beatificam, ergo hac potentia activa, non est pura non resistens, sed verè influit in actum visionis, atque ideo non est potentia metaphoricè tantum, & transumptivè, sed verè, & realiter.

Nec valde operosum est rationem Aureoli dissolvere, nam primum argumentum, si quid probat, offendit actum positivum illud, quod importat potentia obedientialis, sive activa, sive passiva, non esse aliquid re ipsa creaturæ superadditum, & ab ipsa distinctum, quod gratis concedimus, quia est realiter ipsa entitas creaturæ cum relatione transcendentali ad Deum; Aliud verò argumentum probat solum creaturas possibile esse in potentia obedientiali ad Deum metaphoricè, & transumptivè, non autem proprie, & realiter, quatenus nempe ad nutum eius excitari possunt ex nihilo, & a potentia obediens in actum progredi, unde non valet indè arguere ad potentiam obedientialem activam, vel passivam creaturam iam existentiam, quia talis potentia est vera ratio causandi effectum realem per verum, & positivum influxum; unde utique verum est potentiam obedientialem, ut rebus possibilibus, applicatur nondum existentibus, esse potentiam solum

Metaphoricè, at potentia obedientialis in creaturis existentibus reperta est potentia vera, & realis, licet non a naturali entitativè distincta, sed tantum formaliter, ac per diversos respectus. Denique exemplum quod adducit de servo, qui positivè dicitur Domino suo obedire, dum ejus iustis exequitur, potius est pro nobis, dum enim intelledum, & voluntatem nostram Deus elevat ad beatam visionem, & fruitionem, dum ignem elevat in sententia Thomistica ad torquendos damnatos, & aquam in baptismo ad producendam gratiam, sanè hæc creature non se habent in ordine ad Deum ad inflaræ creaturam non resistendo eius actioni, sed verè concurrunt ad operationes, & effectus imperatos a Deo, & ejus iustis exequuntur obediendo positivè, & per influxum positivum. Quamvis ergo verum sit illam non resistentiam, intervenientes, ut dicitur creatura esse sub plena Dei obedientia, tamen ad ritè explicandam potentiam obedientialem tam activam, quam passivam, non sufficit hæc simplex, & pura non resistens ad divinam voluntatem, sed necessaria quoque est obedientia positiva cooperando positivè divinæ voluntati in genere causæ materialis, vel efficientis modo explicato.

ARTICULUS IV.

De Actione, & Passione.

Post potentiam activam, & passivam non erit abs re aliqua de actione, & passione subjungere, quæ veluti se habent, ut actus, vel exercitium illarum potentiarum, & quamvis de actione, & passione ex professo tractaverimus disp. 8. Logic. quæst. 12. art. 2. & adhuc magis disp. 7. Phys. q. 3. art. 1. & 2. quia tamen hic in Metaphys. decrevimus ex professo manum cum Aureolo conferere, eumque argumentis contra Doctorem nostrum occurrere, quod nec a nobis alibi, nec ab alii Scotista hæc admissum est, vel ob negotii molem, cum tamen Aureolus ob indolis excellentiam, & argumentorum subtilitatem vocetur acutissimus, vel potius (nescio quo fato) quia eius opera ferè ad hæc usque tempora jacuerit sepulta, & non antea, quam modò vires temporis tradita, unde Aureolus non nisi pado Capreolo citabatur, quæ de causa veritatis Scotista abrepta est occasio respondendi, & sumo Doctorem tuendi à tan strenuo Duce, cuius velligis inharere non erubescit tota ferè famosa schola Jelitularum, qui suas præcipuas sententias, modumque illas defendendi ab acutissimo Aureolo desumpserunt, unde non abs re tantum Doctorem in Logica frequenter *Promptuarium Neotericorum*, appellavimus.

Aureolus itaque r. d. 27. qu. 2. de actione, & passione ex professo disputat & art. 1. proponit, ait, quod respectus originis, sive qui est origo, verè constituit prædicamentum actionis, & passionis, ita quod origo termini ab agente sit passio, & converso autem productio, quia agens terminum originat sit verè actio, quamvis autem ab initio hæc activam, & passivam originem videatur appellare respectu, postea tamen ex professo negat actionem esse relationem habentem pro fundamento potentiam activam, & passionem esse relationem oppositam habentem pro fundamento potentiam passivam, & ait originem formaliter non esse, nisi electionem, & egressum effectus ab agente, ac veluti viam mediam inter causam, & effectum, quam tamen factis non explicat, ac formaliter dicit quid absolute, & sic originem actum vult esse actionem, originem passivam verò passionem. Hinc postea art. 2. proponit, consequenter loquendo a ferit, quod formale actionis, prout non est aliud, quam intervallum, sive via agentis in passum, vel actingentia, secundum quam dicitur agens attingere effectum, & egredi, ac fluere in ipsum, est subiectivè in productum.

Cæterum hæc Aureoli sententia ex dictis locis citatis tam in Logica, quam in Physica facile recitatur quoad utrumque ab ipso asserit; quoad primum quidem, in quo ait actionem, in quantum constituit prædicamentum actionis, esse ipsam effectus productionem, recitatur, quia quamvis in communi modo loquendi soleat actio lumi pro illa, quæ est productio termini, & agere productu efficiendi, & producendi, tamen proprie loquendo de actione, ut hoc constituit prædicamentum, non est de formali ejus conceptu, quod sit productiva termini, sed solum quod sit transmutativa subiecti, ita ut termino respiciat non aliquem effectum pro ipsam factum, sed aliquod subiectum per ipsam transmutatum, unde dum ignis aquam calefacit, actio hujus prædicamenti non respicit calorem in ipsa productum, sed aquam per calorem transmutatam, & passio proprie dicta correspondens actioni non est habitudo caloris producti ad ignem producentem, sed aquæ transmutatæ ad ignem transmutantem, ita distere docuit Doctor 4. dist. 13. qu. 1. *ad hujus autem differentias*, ubi hos distinguit respectus, & habitudinem causæ transmutantis ad subiectum transmutatum in prædicamento actionis repositi, ut respectus extrinsecus advenientem, & illius prædicamenti formaliter constitutum, relationem verò causæ producentis ad effectum productum reiciat ad quartum prædicamentum, ut intrinsecus advenientem, quæ est communis Scotistarum sententia.

Hoc autem probat Doctor, tum ex definitione actionis, quam Auctor sex principiorum assignavit, quod actio est secundum quam in id, quod subicitur, agere dicitur, in qua definitione non exprimitur respectus ad hunc, nisi ille, qui est ad passum, & subiectum, non autem terminum, vel effectum productum; nam agens agit utique terminum, sed non in terminum, non autem agit

agit passum, sed in passum, ex quo patet diversas esse habitudines agentis ad passum, & ad effectum productum, sicut etiam diversi sunt termini illarum habitudinum, & solum primus respectus est de conceptu actionis, ut hoc constituit prædicamentum. Tum quia sic etiam, & ipse Arist. definitivè actionem, & passionem formaliter sumptas, Phys. 2. d. 2. dicit quod actio est *actus hujus in hoc*, id est agentis in passum, & passio est *actus hujus ab hoc*, hoc est passus ab agente, & dicitur actus passivus, quia est id, per quod formaliter ejus exercetur, & ad actum reducitur passiva virtus, vel potentia, & dicitur ab hoc, quia omnis receptio temper est ab aliquo principio, sicut omnis activa forme in dictione temper est in aliquo subiectum, ut in Physicis dictum est in explicacione illius textus. Tum quia hoc manifestè ostendunt omnia exempla ab ipso Arist. adducta in prædicamentis de agere, & pati, nimirum de calefacere, & caleferi, de frigidificare, & frigidiferi, & delectari, & tristari, omnia namque hæc exempla exprimitur respectum, non quidem agentis ad productum, sed ad subiectum transmutatum, non enim bene diceretur, quod calefaciens calefacit calorem, sed aquam, vel aliquid calefacibile, similiter etiam de Sole non dicitur, quod illuminat lumen, sed aerem, vel aliquid illuminabile, ergo respectus actionis constituens hoc prædicamentum non est ad effectum, vel terminum productum, sed ad subiectum, vel passum. Deinde confirmat hoc Doct. loc. cit. sic, ex definitione potentie activæ tradita ab Arist. Met. 17. quod sit princip. transmutandi aliud, in quantum aliud, sicut autem potentia activa est princip. transmutandi, ita actio, quæ est actus potentie activæ, erit transmutatio alterius id est passus, in quantum alterum est, duo autem alii respectus, ait Doctor, scilicet productionis, & inductionis, vel educationis, & hoc verè activæ, sive passivæ pertinet ad genus relationis proprie dictæ, quia sunt intrinsecus advenientes. Denique actio, & passio respectus mutuos oppositos important, sed passio est proprie respectus passus ad agens, non autem effectus producti, non enim proprie loquendo effectus productus dicitur ab agente pati, vel transmutari, sed passum seu subiectum in quod agit, ergo respectus pertinens ad prædicamentum actionis est inter agens, & passum, non inter agens, & effectum productum.

Respondet Aureolus loc. cit. hæc argumenta procedere ex falsa imaginatione, quasi agens factum in materia, vel receptum in recipiente, non facit actum in materia formam, quasi dicitur aliud in alio, sed ex materia factum formam, ut Comm. dicit 6. Met. unde compositum sit, quod est res præcisa, & in actu, forma verò non sit, cum non sit nisi finis, complementum, & actus, ac modus essentialis materię, per accidens tamen sit tam forma, quam materia, ut patet 7. Metaph. & hinc est, quod proprie dicti potest, quod agens agens compositum primo, & consequenter autem agit materiam, & formam, formam verò in materia, & agit agens non respicit materiam, tamquam in id, in quod agit secundum mentem Philosophi, sed magis tanquam illud, quod agit, sed quia primo aspectu videtur materia, quasi quoddam receptivum, in quo fiat forma, nec est omnino videre, quod totum fiat, idcirco obtinuit imaginatio, quod actio passionem respiciat lubi habitudine receptivi, unde deditur, quod Auctor. sex princip. secundum vulgarem apprehensionem definiens dixit, quod actio est secundum quam in id, quod subicitur, agere dicitur, & melius deditur dicens, secundum quam in id, quod subicitur, seu agit, agere dicitur, quam dicendo in id, quod subicitur. Ad exempla ab Arist. adducta ait parum urgere, quia nomina significantia actionem posita referri ad passum compositum, & formam, unde dici potest, quod lumen accenditur, vel illuminatur, & quod lumen illuminat, & similiter activè, quod aliquis accendit lumen, vel illuminat, Ad ultimum inquit non valere, quia non solum materia dicitur pati ab agente, sed etiam forma, & compositum, quandoquidem pati non est aliud, quam fieri, & agi, ut opponitur alicui, agere, & producere, quod quidem non competit soli materię, sed etiam formæ, & composito, aliquando tamen (inquit Aureolus) sumitur pati, vel passio pro afflictione illius a quo abicitur aliqua perfectio, & inde translatus est ad omne illud, a quo abicitur aliquid naturale, & in hoc sensu dicitur materia pati, & non forma.

Hæc responsio multa falsa involvit jam in Physicis impugnata, nam passum est quod forma non per se fiat, & propria productione producat, cum enim sit causa compositi, utique necessarium est, quod prius habeat esse in rerum natura quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi, ita docuimus disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2. num. 145. ubi etiam explicatum est, quod sensu interdu dicit Philosophus forma non fieri, sed conheri, & non per se produci, sed ad productionem compositi, loquitur enim de productione, qua aliquid accipit esse simpliciter, & per se subitans, vel terminus est solus compositi, & adæquatus generationis, quod sensu productio dicitur terminum, & rerum in se existentium, vel subistentium materie, id ex professo refutat Doctor 1. d. 12. q. 1. *si passio ista multipliciter*, & præsertim in fine inquit, quod si forma substantialis non esset res propria, ac realiter distincta à materia sed modus quidam essentialis, & gradus intrinsecus ejus, sequeretur tunc, quod per formas substantiales generabilia species non distinguerentur, quia isti gradus sunt essentialiter idem tertio, scilicet

materię, nec est alterius rationis secundum illos gradus. Tum quia certum est saltem de anima intellectiva, quod non potest esse gradus intrinsecus materię, quia ipsa est terminus creationis, ergo forma re vera est aliud à materia, & cum materia præcedat naturæ, ac etiam interdum duratione formam, dum agens illam producit, materia cum recipit, verè facit formam in materia, ut aliud in alio, & ut receptum in recipiente. Tum quia nil magis in Philosophia tritum est, quam agens naturale in sua actione præsupponere subiectum, in quod agit, ac formam introductam, ergo proprie loquendo, & de actione in ratione productionis, materia non fit per actionem agentis, sed forma fit in materia, & inde compositum resultat, imò sic loquitur Arist. 7. Metaph. dicit enim formam non fieri, sed in fieri, quia fit in materia, legatur Philosophus ibi cap. 7. tex. 27. ubi dicitur verbiis docet solum compositum simpliciter fieri, scilicet tamquam aliquid in se, & per se existens formam autem fieri in alio id est in materia, unde necesse quia ratione dicat Aureolus perfectissimus Peripateticus non esse modum loquendi Philosophicum, sed juxta vulgarem imaginationem, quod forma fiat in materia, velut aliud in alio, & velut receptum in recipiente. Tum quia definitio actionis tradita ab Auctore sex principiorum non est desumpta ex vulgi imaginatione, cum inquit esse illam, secundum quam in id quod subicitur agere dicitur fit sumpta est ab ipso Arist. 3. Phys. 22. ubi eadem præstatur utitur, definiendo actionem, quod fit *actus hujus in hoc*, id est agentis in passum. Tum quia fallum est, quod proprie loquendo pati idem sit, quod fieri, & produci, nam apud Philosophum unius forme alteriaturæ receptionem transmutari, unde quod patitur, dicitur passio præsupposita, at quod fit, & producitur non dicitur suæ factioni, & productioni præsupposita. Tum tandem quia si hoc esset proprium significatum istius nominis, *pati*, nempe fieri, & produci, tunc magis proprie conveniret composito, vel formæ, quam materie, quia compositum proprie fit, & nihilominus pati proprie dicitur de materia, non de composito, ergo proprie, & formaliter loquendo pati non est idem, quod fieri, & produci.

Ex his recitatur aliud assertum ab Aureolo, quod nimirum actio, ut peculiare prædicamentum constituit, fit subiectivè in termino producto, cum enim fallum sit actionem hujusmodi, & sic acceptam, habere pro termino effectum productum, nam pro termino habet ipsum subiectum, quod transmutatur per formam receptam, consequenter fallum erit posse in ipso subiectari. Sed præterea admittendo etiam actionem, ut peculiare prædicamentum constituit, consistere in origine, & productione activa ad huc fallum est actionem sic sumptam in termino per ipsam productio posse subiectari, nam etiam in hoc sensu dici debet subiectari in ipso agere actu, ut producente non verò in effectu per ipsam productio, quod sic evidenter suadetur. Terminus actionis sui effectus essentialiter dependet ab actione, sicutque ab aliquo se tenente, & parte principii effectivi, quo medio ab hoc recipit esse, actio enim per Aureolum est causalitas agentis, & per ipsam effectus, tamquam per viam recipit esse, ergo nequit intelligi prior natura ipsa actione, & consequenter nequit esse causa materialis illius consequentia prima de se patet, probatur altera, quia causa, & causalitas præcedit effectum, non verò subsequitur. Si recuratur ad mutam causalitatem, non valet; nam causæ, quæ ad causandum requirunt existentiam, nequeunt esse causæ quæ ad causandum quoad existentiam, quia idem esset simul prius, & posterius, quia enim ratione causalitatis, est existens, & prius, quia ratione causatur, accipit existentiam, & est posterius. Nec etiam valet, id recuratur ad mutas prioritates in diverso genere causæ; licet enim duo res possint sibi mutuo esse inveniuntur causæ in diverso genere causæ, tamen eadem entitas nequit esse causa sui ipsius, & consequenter nequit terminus per actionem productus esse principii causalitatis ex vi cuius producit. Neque dicas actionem in eo priori, quo velut via præcedit effectum, & terminum productum, non inherere actu, sed aptitudine, tunc autem actu inherere, cum actu productum fuerit. Nam tunc in qualibet actione miraculum interveniret, quia reperiretur accidens sine subiecto actu, quod ad miraculum sufficit, ut constat in Eucharistia, ita arguebamus disp. 7. Phys. qu. 3. art. 2. num. 27.

Deinde late probatum est ibidem actionem non posse in passu subiectari, sive per passum intelligatur effectus, vel terminus productus, sive subiectum ipsum transmutatum, & adhuc ulterius probatur quibusdam argumentis ab ipso Aureolo adductis, nec bene solutis. Nam impossibile est effectum formalem separari à forma, sed agens dicitur formaliter agere actione, ergo actio est formaliter in agente, non in passu, sed verè solutio Aureoli, quod actio denominat agens per modum egredientis, non per modum inherentis, non enim dicitur agens agere, eo quod habet agere in seipso, sed quia agere egreditur ab ipso, & est quod alii dicunt agens denominari ab actione denominatione extrinseca, non intrinseca. Non valet quia fallum est actionem formaliter egredi ab agente, egreditur enim tantum terminativè, & effectus ipse dicitur fluere, & egredi ab agente, ut calor ab igne, non autem in ipsa actio, ergo debet agens denominare non extrinsece, sed intrinsece, nec per modum egredientis, sed inherens. Tum quia si egredietur ab agente, & recipitur in passu, utique aliquam formalem denominationem præstabit passu, qualis ipsa est, nec alia esse poterit, quam denominationem agentis, & sic passum denominabitur



habetur agens, ut latè prosequor disp. cit. Phyl. numer. 32. Tum quia Aureol. ibi eadem solutione concedit, quod si denominatio agentis nominaliter sumatur, & non verbaliter, ut si dicatur de Sorte, quod est agens, vel generans sic fit denominatio a relatione insidente in agente, & est ipsūm, quod contendit Scotus. Præterea principaliter dicit Philosophus de somno, & vigilia quod cuius est potentia, eius est actus, sed constat quod potentia activa est agens, & in agente, ergo, & actio, quæ est actus hujus potentie, erit in eo. Respondet Aureol. quod licet actio sit potentie, & agens per eam, nihilominus non est in potentia, nec in agente, neque hoc probat verbum Philosophi, non enim dicit, quod ubi est potentia, ibi sit actus, sed quod, eius sit actus, cuius est potentia, unde mutatur in argumento habitu genitivi in ablativum, & committitur fallacia figuræ dictionis. Contra, ex hoc quod passio est actus potentie passivæ in genitivo bene deducitur sine fallacia, quod etiam in ablativo sit in potentia passiva, & subjiceretur in passio ut constat ex 3. Phyl. 21. & 22. ergo idem patet erit de actione respectu agentis, & potentie activæ, sic erit etiam 3. Phyl. 6. ex hoc quod motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, in genitivo, deducitur etiam in ablativo, quod subjiceretur in mobili, ergo nulla in argumento committitur fallacia, tum quia in eodem subiecto, est fundamentum, & respectus fundatus, sed actio est respectus habens pro fundamento potentiam activam 5. Metaph. cap. 15. ergo actio est in agente; tum quia actus est in eo, quod actuatur, cum talis actuatio fiat in genere causæ formalis, ergo factio actuatur formaliter potentiam activam, erit in ipsa subiectiva.

33. Rursus impossibile est formas oppositas esse simul, sed actio, & passio sunt opposita, ergo non sunt simul, sed actio est in agente, & passio est in patiente. Respondet Aureol. quod actio, & passio, ut respiciunt formalem terminum, seu productum nullam habent oppositionem, immo in idem conveniunt, productum enim producitur, & actione producentis, & productione passivæ, non ergo opponitur in suis realitatibus formaliter, sed in suis denominationibus, quoniam actio denominat agens, & quæ egreditur, passio vero effectum, qui egreditur, & hoc proprium actionis, ut non denominat illud, in quo est subiectiva, sed a quo egreditur, & sic queratur, quæ sit ratio istius, inquit Aureolus quod irrationaliter queratur, ac si queratur, quare albedo de alba, apparet enim ex terminis, quod factio non sit aliud, quam egressus, quo agens attingit aliquid cautivè, quod non denominabit illud, quod attingit, & in quo permanet, sed id, a quo egreditur. Contra hoc est, quod, & Aureol. ipse quæsit. cit. art. 1. propol. 2. tenet actionem, & passionem etiam in suis formalitatibus opponi, quia exitus, & egressus, qui dicitur actio incipit ab agente, & terminatur ad effectum, alter vero effluxus, qui dicitur passio, incipit ab effectu, & terminatur ad agens, & dicitur habi tudines esse reales, & non rationis, ac etiam realiter oppositas, quia habent terminos oppositos, ergo nequeunt esse simul. Tum quia egressum, qui dicitur actio, incipere fundari in ipso agente, & est quod contendit Scotus. Tum quia si opponitur actio, & passio in suis denominationibus, ergo & in suis formalitatibus, quia denominationis sumitur a formalitate rei, & cum ipsa conveniatur. Tum quia cum proprium sit cuiusvisque forme, sive absolute, sive relative denominare subiectum, cui inheret, potius quam causam, a qua dimanat, optime queri potest, ac rationabiliter, cur hoc specialiter inter omnes formas actionis conveniat, quod non denominat subiectum, quod afficit, sed illud tantum, a quo egreditur, & nisi afferatur ratio apta, ac idonea, videtur voluntarie dictum, ac petio principii, quia adducitur instantia in proposito concedendo propositionem illam universaliter, quod omnis forma denominat subiectum, in quo recipitur, excepta actione, de qua est quæstio. Tum tandem, quia fallum est, ut dixi, actionem formaliter sumptam egredi ab agente, potius enim effectus est illud, quod intelligitur egredi, & effundit virtute productiva agentis media actione.

39. Quod tandem actio non mediet inter causam, & effectum, veluti via præcedens nature ordinem extrinsecè effectus, in sensu quo loquitur Aureolus, & in quo sectatores habet omnes Recentiores suse probatum est disp. 5. Phyl. qu. 2. num. 10. & disp. 7. quæst. 3. art. 1. num. 2. 1. ex Scoto pluribus in locis 1. d. 30. G. & d. 35. L. 43. C. & d. 1. qu. 2. E. ubi vult ad absolutum in causa immediate sequi absolutum in effectu, ut re vera nihil mediet inter illa per modum vie, unde quando in communi modo loquendi dicitur effectum ab agente produci media actione, tunc actio sumi debet fundamentaliter pro virtute absolutæ agentis, quæ illi est ratio agendi, nam talis virtus re vera præcedit natura effectum, etiam in instanti, quo causat, at si actio sumatur formaliter pro respectu producentis ad productum non est verum in ratione forme productivæ, quia relatio non est activa, sed tantum in ratione forme denominantis, ut notat Doctor 4. d. 13. q. 1. P. quatenus entitas causæ nunquam intelligitur formaliter causans nisi habita relatione, & in hoc sensu dicit potest via ad effectum & etiam prior effectu, sicut albedo dicitur prior pariete albo, ut sic, ut explicat disp. 5. Phyl. cit. num. 14. Sed præsertim si actio sumatur, ut constituit peculiare prædicamentum, palam omnimodè est in principis nostris non mediare inter causam, & effectum, quia actio sic considerata est respectus extrinsecus adveniens agentis, ut transmutans ad passum, ut transmutatum, sed iste re-

specus inter causam, & effectum mediare nequit, idè enim subiectum ab agente transmutari dicitur, quia ab eo formam de novo recipit, ergo forma de novo inducta, vel educita re vera præsupponit actioni de genere relationis, quæ idè hoc actio non mediatur inter causam, & effectum; hinc consulto Doctor tam in 4. d. 13. qu. 1. F. quam in 2. d. 1. qu. 5. S. varios enumerando respectus prius recentel respectum agentis ad formam educitam, vel inductam, & passum ad formam receptam, deinde respectum passum ad agens, & agentis ad passum.

In Contrarium arguit Aureolus loc. cit. primo probando actionem non posse consistere in respectu, præsertim de genere relationis, quia per nullum respectum de genere relationis capite effectus terminus illius respectus, ut patet discurrendo per singulos relativorum modos, non enim in primo modo duplici ponit in esse subiectum, nec similitudo albedini, ad quam terminatur, nec in tertio modo relativorum mensura ponit in esse mensuratum, nec in secundo modo patris patris ponit in esse filium, sed filio productio resultat in patre, sed origo, in qua consistit actio, ponit in esse terminum suum, ergo non pertinet ad genus relationis, sed de genere actionis. Tum 2. ex Simplicio super in prædicam. in cap. de agere, & pati; actio non est proprie habitu unius ad aliud, sed est id, quo aliquid dicitur esse factum, sed manifestum est, quod per originem formalis termini habet totum compositum, quod sit factum, & originatum, ergo origo termini non pertinet ad genus relationis, & actionis. Tum 3. nullus respectus, qui se habet ad terminum quæ sit in ipsum, est de genere relationis, sed magis de genere actionis, nam Arist. 4. Met. ab initio, & Com. ibid. dicitur, quod quoddam est casus per se existens scilicet substantia, quoddam est via inens, & quoddam relatio, vel habitu, de entis, unde patet, quod aliud prædicamentum est relatio, & aliud via inens, sed manifestum est, quod origo est via, ac processus ad esse termini originat, ergo hujusmodi origo non est relatio, sed pertinet ad genus actionis. Tum 4. respectus agentis ad passum est in genere actionis secundum se ponentes, sed nullus est respectus inter agens, & passum, nisi ille quo agens terminum attingit, qui quidem est origo, ut ibi multipliciter probat, ergo & c. Tum 5. respectus ille, qui non oritur de necessitate postis terminis, non pertinet ad genus relationis, sed origo termini non oritur postio fundamento, & termino, quia non intelligitur origo, ut sequens terminum, sed ut præcedens, & via, ergo non spectat ad prædicamentum relationis. Tum 6. relatio non fundat relationem, sed 5. Metaph. 29. ait Arist. quod relatio producentis, & producti fundatur super agere, vel egisse, & manifestum est, quod relatio producti fundatur super originari termini, & relatio producentis super originare, ergo originare, & originari non pertinet ad prædicamentum relationis. Tum demum, quia actio, & passio sunt respectus mutui, & oppositi, id ergo respicit actio pro termino, quod passio pro subiecto, sed constat quod formalis terminus, & compositum dicuntur agi passivè, ut agens per actionem respicit formalem terminum, & compositum.

40. Respondetur mirum esse, cur ad contra Scotum insidet Aureolus, ut probet actionem non importare relationem de quarto prædicamento, cum id gratis concedat Doctor 4. d. 13. ut ipse Aureolus fatetur in quarto argumentato, tamen quia Doct. vult actionem, ut productivam effectus spectare ad quartum prædicamentum, idque impugnet videntur argumenta facta, idè ex hoc capite sunt dissolvenda; pro quo nota ex Scoto 4. d. 13. qu. 1. lit. P. quod cum causa dicitur agere, & producere effectum, id potest intelligi dupliciter, vel relatione principii formalis proximi, & sic formaliter denominatur a relatione causalitatis significata per actionem, nam causa causalitate causat, agens actione agit, sicut simile similitudine est simile, vel relatione principii formalis remoti, quo sensu illud ablativum significat absolutum, quod est principium agendi, & fundamentum relationis, ut calidum calore calefacit, simile albedine est simile, itaque actio sumpta pro productione, & origine activa pertinet ad prædicamentum relationis, & per ipsam dicitur effectus produci, non quidem physicè, velut per virtutem productivam, quæ sit ratio agendi, quia relatio non est activa, sed denominativè, quatenus est ratio formalis, quia causa denominatur formaliter producentem, & originans, sicut per similitudinem albedinis dicitur formaliter simile, quia doctrina præmissa operosum non erit argumentis Aureoli occurrere. Ad 1. negatur major, quia per relationes ad secundum modum relativorum pertinentem, quæ fundatur super potentiam activam, & passivam, potest aliquid capere esse, & produci, non quidem ut ratione formali producentis, sed ut principio formali denominandi producentem, ut modò explicatum est ex Scoto. Ad 2. quicquid sit de Simplicio, per actionem de genere actionis non dicitur aliquid esse factum, & originatum, sed transmutatum, per originem vero fatetur aliquid dici factum, & originatum ut principio formali denominandi, & hæc non ad prædicamentum actionis pertinet, ut contendit Aur. sed relationis, quia est relatio intrinsecus adveniens ex Scot. c. Ad 3. nullus respectus potest esse proprie via in suum terminum, quia potius sequitur terminum positum in esse, non vero præcedit, & idè bene inquit Doctor 4. d. 1. q. 2. E. non fallere imaginationem, dum putamus relationem causalitatis mediare, veluti viam inter causam, & effectum, quia vera sequitur, sicut universaliter nulla relatio ponitur, nisi postis extremis, unde origo, sive ponitur re-

specus de genere actionis, sive relationis, proprie nequit esse via; ad hæc tamen distinguit Doctor 4. d. 13. qu. 1. de duplici via, altera est medium quo, & est acquisitio ipsa, quæ habetur forma, vel effectus, & hæc non præcedit, altera est per quam, vel in quam, & est id, ad quod mobile primo pervenit, & hæc utriusque pertranfit, antequam ad extremum perveniat, & hæc utriusque præcedit, sed talis via non est causalitas, & origo, licet nota sit falsa imaginatio cuius, quæ respectus ille, quo agens actus terminum producentem ad ipsam, & dicitur origo, non pertinet ad prædicamentum actionis, sed relationis, quia talis respectus est intrinsecus adveniens, & respectus subiectus ad genus actionis non respicit terminum productum, sed subiectum transmutatum, & ille præcedit illam.

41. Ad quantum concessa major iterum negatur minor, cum supra probatione, quamvis enim origo a nobis concipiatur, ut præcedat, & via ad terminum suum, re vera tamen, ut ait Doctor loc. cit. fallit nos imaginatio, quia quilibet respectus, sive sit de genere actionis, sive de genere relationis sequitur extrema jam posita, licet unus ex necessitate, alter vero non nisi posita debita eorum approximatione. Ad 6. falsa est major, ut constat ex disp. 8. Log. quæst. 2. art. 2. falsa est etiam minor, ut ex eadem constat disp. quæst. 10. art. 2. explicando secundum modum relativorum, ubi probatum est relationes secundi modi re vera non fundari super actionem, & passionem, sed super potentiam activam, & passivam, actionem autem, & passionem intervenire solum, ut conditionem necessariam, & dispositionem præviã ad fundandum, ut ibi explicatum est. Ad ult. concessio entimènta primo negatur sub illa minor, quod terminus formalis, & compositum dicuntur proprie agi passivè id est pati, quia pati proprie loquendo est recipere propriè agi passivè id est pati, & hoc non pertinet ad formam, vel compositum, sed ad subiectum dimtaxat, terminus autem formalis, & compositum dicuntur agi passivè, ut agi idem est, quod produci, & originari, & sic solum sequitur quod agens in ratione producentis, & originantis respicit pro terminum formam, & compositum, sed in ratione transmutantis respicit subiectum, & passum.

Secundo arguit Aureol. loc. cit. art. 2. probans actionem esse subiective in producto, quia si esset in agente, omne agens prægeret in se, & omnis potentia activa simul esset passiva consequentia patet, quia realitas illa de novo adveniret agenti, & cum aliunde eam non habet illam eliceret, in seipso per potentiam suam activam, & per consequens potentia illa esset simul activa, & passiva, & agens esset simul agens, & passum. Tum 2. quia si agens produceret in se actionem, per quam agat in passum, tunc productio illius actionis esset actio, & ita actio esset actio contra Philosophum 5. Phyl. 18. Tum 3. nulla forma denominans aliquid per modum egressus ab illo potest poni subiective in eo, quod denominat, idè namque ceteræ forme subiectivæ in eo, quod denominat, quia non denominant per mo um egressum, non enim dicitur album aliquid, quia ab eo egreditur albedo, sed actio denominat agens per modum egressus, ergo non est in eo subiective. Et si dicatur, quod non concludit ratio de formali actionis, sed de re acta, non enim formalitas actionis egreditur, sed effectus, non valet, quoniam illud formale maximum exprimitur per verba activa, manifestum est autem, quod nullus concipit agere actus, nisi per modum egressus ab eo. Tum 4. quia secundum Arist. & Com. 3. Phyl. 22. actio, & passio sunt idem secundum subiectum, & duo secundum definitionem, & loquitur ibi de formali actionis, & passionis, non autem de actione pro re acta. Tum 5. proportio potentie activæ ad actum non est, ut in qua, sed a qua est actus, potentia namque, quæ se habet ad actum sub habitu, ut in qua recipitur actus, non est activa, sed passiva, ergo & c. Tum 6. quia tunc creatio actio esset in Deo subiective, quod repugnat. Tum tandem, quia formalis ratio actionis non est aliud, quam quidam egressus huius, ratio vero passionis est egressus huius ab hoc, ergo ex formalitatibus actionis, & passionis apparet, quod utraque remanet formaliter in subiecto, unde cum actio dicitur actus huius in hoc non intelligitur huius subiective, sed originative, & in hoc terminative, & subiective scilicet in effectu.

42. Respondeo hæc argumenta pariter procedere de actione productiva, non autem transmutativa quæ constituit peculiare prædicamentum, quia hæc non respicit productum pro termino, sed subiectum, & passum, verum quia Doctor etiam de actione productiva, quæ spectat ad quartum prædicamentum, tenet quod sit in agente, vel producente, non autem in producto, nobis ad hæc incumbit argumenta diluere, quæ probant oppositum; Ad primum negatur consequentia, quia ut, & Aureolus ipse concedit quæst. cit. art. 1. propol. 3. ad 1. instantiam, non est verum quod recipere constituit prædicamentum passionis, quod probat ex Comment. 5. Phyl. com. 9. receptio enim potius spectat ad prædicamentum habitus qui significat habitationem forme qualiscunque, ut dicitur est in Log. declarando prædicamentum habitus, sicut ergo non omnis receptio est in prædicamento passionis, sed illa receptio, quæ est passio ex infra dicendis sub num. 52. ita neque potentia receptiva convertitur semper cum passiva, nisi quæ est ad passionem, quæ autem per actus agens prægeret in se eliciendo actionem nunquam declarabitur. Ad 2. si fermo sit de actione in ratione productionis, hæc seipsa ab agente, seu producente dima-

nat, non mediis alia actione alioquin daretur processus in infinitum in actionibus, & productionibus, neque idem dici potest de ipso effectu, quod immediate erumpat ab agente abque ulla actione, & productione; cuius rationem assignavit disp. 7. Phyl. quæst. 2. num. 8. si vero sit fermo de actione, ut peculiare prædicamentum constituit, licet ad ipsam dari nequeat alia actio ejusdem generis pro acquisitione, dari tamen potest alio aliterius generis, quæ dicitur productio, cuius quoque ratio assignata est ibidem nu. 10. & 11. neque ab hoc argumento Aureolus ipse immunis abibit, quia est illam realitatem, quam dicit esse actionem formaliter reponat subiective in passio, tamen cum ab agente dependeat, & egrediatur, ipse quoque explicare tenetur quomodo ab agente fluat, & causetur, an immediate, & tunc idem quoque nobis licet dicere de actione pro respectu in agente fundato, vel mediante alio influxu, & tunc pariter instabitur contra ipsum, quod ad actionem esset actio. Ad 3. optima est solutio allata in argumento, quia re vera actio non egreditur ab agente, sed effectus ipse, præsertim in actione transeunte, & cum influat nullum concipere actionem nisi per modum egressus; respondent ita esse, non tamen secundum imaginationem Aureoli quasi actio concipiatur per modum egressus formaliter, sed ita ut dicitur egressus terminative, quatenus terminatur ad effectum à virtute activa agentis egredientem media actione sibi inherente. Ad 4. actio, & passio ab Arist. loc. cit. pro tanto dicuntur idem subiecto, quatenus motus pro materiali, cum insunt, est propriè unus, & idem, solum ratione diversus, quatenus motus pro materiali, est actus huius in hoc, & huius ab hoc idem agens in patiente, & patientis ab agente, & verum est, quod in eo textu accipitur actio, & passio pro formali; ceterum isti respectus sunt idem materialiter, quatenus ambo sunt in motu, non ut in subiecto, vel fundamento, sed subiective, & terminative, in eodem tertio non formaliter, sed concomitanter, nam respectus passionis est subiective in eo, in quo est motus pro materiali, seu forma fluens, & respectus actionis est terminative in eo, in quo est idem motus, ita hung textum explicat Doct. 4. d. 13. q. 1. lit. M. & nos cum ipso lib. 3. Phyl. in expositione textus, quam videtur iuvare.

43. Ad quantum potentia activa intelligi potest ordinari ad duplicem actum, vel ad actum proprium, quo dicitur exerceri, & poni in actu secundo, quo sensu actio ipsa dicitur actus potentie activæ, vel ad actum alterius scilicet ad formam, per quam efficiatur actu subiectum, in quod eam introducit, dum ergo dicitur proportionem potentie activæ ad actum non esse, ut in qua, sed ut a qua est actus, potissimum intelligitur de actu secundo modo scilicet de forma, talis enim actus non recipitur in potentia activa, sed ab ipsa procedit, & in passiva recipitur; ad si fermo sit de actu in primo sensu potest potentia ad ipsum conferri etiam per habitum in quo recipitur, neque ob id potentia activa erit quoque passiva formaliter, quia ut dictum est, non omnis receptio est de genere forme subiectivæ, sed de prædicamento habitus, ut 6. jam dictum est disp. 7. Phyl. num. 23. Denum denominari agens de novo, non intrinsecè, cum nihil de novo recipere possit, sed extrinsecè, non quidem per actionem in creatura receptam, sed per terminationem dependentie creaturæ ad ipsam; hoc autem de agente creato dicitur nulla urget necessitas, quia potest de novo relationem recipere, quæ intrinsecè denominatur agens. Ad ult. ratio formalis actionis est, quod sit actus huius in hoc, ratio autem passionis, quod sit actus huius ab hoc, 3. Phyl. 22. & ex his rationibus colligitur, quod sicut passio est in passio velut actus eius, ita actio in agente, unde fallum est, quod cum actio dicitur actus huius in hoc, ly huius non sumatur subiective, sed originative, quia illa particula ita tenetur in definitione actionis; sicut passionis; sicut ergo in definitione passionis tenetur subiective, quatenus est actus ei inherens, eodem quoque modo in definitione actionis teneri debet.

44. Et quidem ex his definitionibus actionis, & passionis palam fit formaliter non esse, nisi relationes quoddam, & habitudines, quarum una fundatur in agente, & terminatur ad passum, dicitur quoque actio; alia contra fundatur ad passum, & terminatur ad agens, dicitur quoque passio, & hoc ipsum fatetur videtur Aureolus qu. cit. art. 1. propol. 2. quamvis enim actionem dicat esse effluxum notoris in motum, & passionem esse egressum ab ipso motore, subdit tamen quod isti effluxus, & egressus sunt realiter distincti, & omnino oppositi, quia effluxus qui dicitur actio, incipit ab agente, & terminatur ad effectum, alter vero incipit ab effectu, & terminatur ad agens, nempe passio, quibus verbis iam manifestè fatetur Aureol. Actionem, & passionem esse relationes, quarum una fundatur in agente, & terminatur ad passum, & alia contra. At occurrit Aureol. ibi hanc instantiam non tenere, quoniam huiusmodi egressus non sunt res absolute, quia nec intelligi possunt sine duobus extremis videlicet sine agente, & aliquo absolute creato, nec tamen sunt relationes, egressus enim non est habitu, cum non referat ad terminum, sed causat ipsum, propter quod non spectat ad genus relationis, est enim commune seipsum prædicamentis non absolutis, quod intelligitur inter duo extrema per modum cuius am intervalli, & idè appellatur forme adiacentes, vel circumstantiæ, nec est hoc proprium relationibus, talium enim intervallorum & formarum interiacentium quæ d. referuntur inter habitudines, & relationes, quædam vero sunt continentiæ, & mensuræ, ut Ubi, & Quando, sic ergo actio, & passio inter se, & a motu realiter distinguuntur, non sicut res absolute.